



De

32.

HYEMANTIBUS,

ALIISQUE,

ad

DILUCIDATIONEM


Canonis XVII. Concilii

Ancyrani facturis,

Altdorfi d. 3. Septemb. MDCCV.

disputabunt


PRÆSES

CHRISTOPHORUS  Sonntag/

SS. Theol. D. ejusdemq; Primarius

& Græcæ Linguae Professor, nec non Ecclesiæ
oppidanæ Antistes,

ET RESPONDENS

M. Gottfried POLYCARPUS  Müller/

Stolb. Misn.

ALTDORFI,

Literis Jodoci Wilhelmi Kohlesii.

131

H Y E M A N T I B U S

D I L L I C I D A T O N E M

Canonis XVII. Concilii

M. D. C. C. V.

P R A E S

C H R I S T O P H O R U S

ss. Theol. D. eiusdemq. Primarius

& Graecae Linguae Professor in Academia

opidanae Altdorf.

ET RESPONDENS

M. G R A E T I O P O L Y C A R P U S

Scol. Milt.

Licentiae Socii Willelmi Kohleri.



Τὰ ἐνόητα Disquisitionis.

Prolegomenon de Concilio Ancyranò §. 1. Ex hoc sistitur Canon XVIIImus, §. 2. Quinam ἀλογευσάμενοι §. 3. Explicatio ex Lege divinâ. Ἀλογεία subjectivè & objectivè talis §. 4. Quinam λεπροὶ ἢ λεπρώσαντες §. 5. 6. Explicatur subjectum Canonis, quod sunt οἱ ἀλογευσάμενοι leprosi ibid. & cum τοῖς ἀλογευσάμενοις Canonis antegressi XV I ti, nempe junioribus, virilibus uxoratis, & senioribus uxoratis, confertur §. 7. Explicatur prædicatum Canonis, quod est inter hyemantes orare §. 8. Polysemia verbi χειμάζεσθαι sive Hyemare §. 9. quod βλασφημίαν & jactationem peccatoris extra portum Ecclesie & salutis h. l. notare Balsamoni videtur §. 10. Aliis idem est, quod sub dio stare, caeli inclementiæ & omnibus aëris injuriis expositum, omnique Ecclesie tecto, ex verbò Tertulliani, submotum §. 11. Expenditur hæc significatio ex veteri Basilicarum ac Templorum Christianorum structurâ, §. 12. Aliis denique idem est, quod spiritu immundo periclitari sive Energumenum esse. Conferuntur Energumeni cum naufragis, in mari jactatis, §. 13. Assignantur rationes Beveregianæ pro hæc sententiâ, §. 14. Sed aliter visum Leoni Allatio & Gabr. Albaspinæo, qui inter Hyemantes atque Energumenos grande discrimen intercedere opinantur. Dividiæ Autorum afferuntur, quorum alii Hyemantes in Narthece, in mediò audientium & catechumenorum, alii in Propylæo Narthecis inter Lacrymantes, alii tandem extra omne Ecclesie tectum locant, §. 15. Examinatur sententia Albaspinæi, qui ipse Martini Bracarensis explicationem de Energumenis haud repudiat. Distinguit Zonaras inter δῖπλα μαινόμενος s. constanter maniacos, & quasi semimantiacos, lucidis maniacæ intervallis gaudentes Dilucidantur Canones, LXXIX. Apostolorum & XCII. Concil. Carth. IV. Respondetur Zonaræ, novam objectionem inuito, §. 16. Rejicitur expositio Balsamonis, si quidem per χειμαζόμενος voluit intelligi τὸς ἀκρωμένους speciatim ita vocatos. Additur rejectioni ratio gemina, quia 1.) sic gravius peccantibus non foret indicta gravior pœna, 2.) χειμαζόμενοι Flentes potius, quam Audientes forent, §. 17. Epicrisis henotica Eruditis sistit tres Hyemantium classes, utpote quorum alii fuerint tolerabiliores, alii deteriores, alii deterrimi. Illi Audientibus in Narthece, isti Lacrymantibus in Propylæo juncti, hi omni Ecclesie tecto sumoti fuere; quibus nostri quoq; Patres Ancyrani rabidos istos ac furibundos suos leprosos, ad frugem redeuntes, interfuisse videntur. §. 18. Signa obsessionis corporalis, endictica ac diacritica; nec non digressionis Satanicæ ex corpore. Cum itaque Satanas non sine oratione & jejuniis expellatur, hinc liquet, cur Hyemantibus orationem

tionem tribuerint Ancyraní. Facinora Dæmoniatorum, in paroxysmo patra-
 ta, interdum etiam pœnitentiâ, oratione ac deprecatione indigent, §. 19. Alius
 indagatur, quid sit orare inter Hyemantes. Non erat hoc penitus excommunica-
 torum; sed vel pœnitentium, vel τῶν φιλοσοιύτων sive pœnitentibus confinium.
 Neque erat eorum, quibus juxta Concil. Eliberitanum ne in fine quidem danda
 communio; sed eorum tamen, qui luere ac deprecari publicè majus peccatum
 juberentur, quam οἱ ἀλογευσάμενοι Canone anteriore XVI. reprehensi, §. 20.
 videlicet eorum, qui deprecarentur cum seductionem, cum infectionem aliorum
 hominum ac brutorum scandalosam nefandamque. Differentia inter commu-
 nionem orationis & Eucharisticam, §. 21. Aliud quoque τὸ orare inter hye-
 mantes, quam orare inter pœnitentes, orare cum fidelibus, & orare cum ca-
 techumenis. Triplieia fidelium munia in precando ex Can. XIX. Concil. Lao-
 diceni, σιωπή, προσφώνησις & φίλημα, silentium, pronuntiatio, & osculum.
 Quanto horribilius τῶν ἀλογευσάμενων fuerat scelus, tanto ἐπιτενεσέει fueris,
 oportet, ista inter Hyemantes oratio, §. 22. Orantibus inter Hyemantes non omnis
 Ecclesiastica communio omni tempore negata. Orare & invocare eorum cultum
 divinum notat, §. 23. Veteris disciplinæ Ecclesiasticæ acrimonia & sanctimonia,
 §. 24. Cur etiam pii Hyemantes sive Obsessi nonnunquam sint, §. 25.
 Obsessio spiritualis Hyemantium theoreticorum & practicozum aver-
 sanda & deprecanda §. 26.

§. I.

Concilium Ancyranum ab Ancyra, urbe in provinciâ
 Galatiæ sitâ, ac, teste Pliniô lib. V. cap. ultimô, ab an-
 choris navium à Mithridate captarum, quas Ptole-
 mæus Ægypti Rex suppetias Galatis sive Gallogræcis miserat,
 ita dictâ, suam obtinet appellationem. Rectius itaque sic, quam
 à Gratiano in Decretis Anchiritanum, ab aliis Anqvytanum vo-
 catur. Celebratum fuit, Balsamone & Zonara testibus, ante pri-
 mam, Nicææ habitam, Synodum œcumenicam: aliis ad annum
 Christi 308. aliis cum Binio Tom. I. Concil. pag. 283. ad annum
 314. illud referentibus. Sed & ex Scriptoribus constare non posse,
 sub quonam Imperatore convocatum sit, Caranza existimat.
 Occasionem ei subministravit controversia de Lapsis, per annos
 benè multos id temporis vexata, num videlicet, & quomodo hi
 ad sa-

ad sacra Christianorum admittendi, cum frequentius ad gremium Ecclesiæ rediissent; nec tamen, quod Cyprianus quoque semel atque iterum in Epistolis monet, tam improvidè ac leviter recipiendi, sed sufficientis demum pœnitentiæ testificatione ac publicâ deprecatione exuperatâ, putarentur. Præfuerunt ac interfuerunt ipsi tanquam ἐξάρχοντες, ut voce Balsamonis utar, Vitalis Episcopus Antiochiæ, quæ est in Syria, Agricolaus Cæsareæ Cappadociæ, & Martyr Basilius Episcopus Amasææ. Binius autem octodecim numerat ac nominat, qui ei subscripserint, quos fere omnes Concilio Niceno interfuisse, arbitratur. Cæterum Vitalis Antiochenus eò, quod primo loco positus sit, Concilium hoc indixisse videtur. Tandem & hoc ad autoritatem hujus conventûs, ut non œcumenici, provincialis tamen, facit, quod Assessores Trullani Canone II. Sextæ Synodi nominatim suis eum suffragiis approbârint.

§. II. Cùm igitur Lapsi variorum generum extarent, de quibus Ancyrana isthæc consultatio institueretur, Canonibus decimo sextô ac decimo septimô περὶ τῶν ἀλογευσσαμένων aliquid peculiare sciscitur, de quo in præsentî lucubratiunculam aliquam commentari, eamque juventutis commodo dare certum est. Imprimis autem Canonem decimum septimum enucleare animum induximus, in Græco ita fluentem: Τὰς ἀλογευσσαμένους καὶ λεπρὰς ὄντας, ἤτοι λεπρώσαντας, τὰς περὶ ταύτας ἡ ἀγία σύνοδος οὐκ ἐπιτρέψαι τὴν χειμαζομένην εὐχεσθαι.

Versio Dionysii Exigui:

Eos, qui irrationabiliter vixerint, & leprâ injusti criminis sunt vel fuerunt, jussit sancta Synodus inter hyemantes orare.

Versio Isidori Mercatoris:

Hos eosdem sane, non solum leprosos crimine hujusmodi factos, sed & alios isto suo morbo replentes, placuit inter eos orare, qui

re, qui tempestate jaētantur, qui à nobis energumēni appellan-
tur.

Verfio Gentiani Herveti:

Eos, qui rationis expertia animantia inierunt, & qui leprosi
alios polluerint, praecepit sancta Synodus inter eos orare, qui spiritu
periclitantur immundo.

§. III. Pro dexteriore hujus Canonis intelligentia videndum
ante omnia, quoniam per τὰς ἀλογευσάμενας (Canon antegressus
etiam praesentis temporis mentionem adjicit, πρὸ τῶν ἀλογευσά-
μένων ἢ καὶ ἀλογευσομένων, ut adeo Patres non praeteritis modo
malis mederi, sed & praesentibus ac futuris consulere studuerint)
intelligantur. Binius dupliciter hanc explicari posse vocem autu-
mat, aut de his, qui cum pecoribus coitu mixti, aut de his, qui more
pecudum cum propinquo sanguine incestu commixti sunt. Gabr.
Albaspinaeus Observat. & not. in quosdam Canon. Concil. Asiae
p. 368. itidem latius extendit ad eos, qui in pecudes vel in mascu-
los, aut olim polluti sunt, aut haecenus hoc vitio tabescunt. Alexi-
us Aristenus, ut ut ad Canonem hunc nostrum XVII. τὰς ἐν γυ-
ναξὶ πρὸς φύσιν, ἢ ἐν ἀρρεσιν, ἢ ἐν ἀλόγοις τὴν αἰχὴν ἐργαζομένας,
adeoque omnes illos, qui praeternaturalem commixtionem sive
cum mulieribus, sive cum masculis, sive cum brutis perpetrant,
(qualia quidem peccata Sodomitica, ex Genes. XIX. 5. imò
& muta vocitamus, eò, quod ne nominari quidem inter Chri-
stianos debeant) intelligat: tamen ad Canon. XVI. cum B. Ba-
silio τὰς ἀλογευσομένας neque ad incestuosos, neque ad paed-
rastras aliosque cinædos, peccatis Sodomiticis ac nefandis inqui-
natos, accommodat: verum hos rotunde vocat κτηνοβάτας, h. e.
eos, qui jumenta incedunt. Et certè Canon LXIII. Basilii ad Am-
philochium nuncupat belluinum ejusmodi homuncionem τὸν ἐν
ἀλόγοις τὴν ἑαυτοῦ ἀσέβειαν ἐξαγορεύοντα, eum, qui brutorum con-
cubitu suam impietatem profitetur, memoratque ex titulo LX.
cap.

cap. 37. Basilicorum idem Aristenus, eos, qui bruta ineunt, sive pecora infiliunt, καυλοκοπέειν, debere. Paucis multa: 'Οι αλόγευσάμενοι, h. e. irrationabiliter versantes aut versati, sunt, Zonara docente, οι ζωίς αλόγοις συμφθαρέντες, qui cum bestiis ratione carentibus rem habendo, in proprium corpus peccarunt, idque cum illis depravarunt, corruperunt atque perdiderunt, bipedum omnium, quotquot sub sole vivebant, impudicissimi, impurissimi, foedissimi.

§. IV. Inhibuerat idem bestialitatis scelus & peccatum maxime mortale (quod Ancyrani Patres per Miosin atque Euphemismum αλογίαν, seu mavis αλογείαν aut αλόγευσιν, irrationabilitatem, vitamque aut conversationem & actionem irrationabilem, dixere) Legislator sanctissimus Ex. XXII. 19. ajens: *Quisquis cubat cum jumento, omnino morte plectitor.* Et Lev. XVIII. 28. *Item cum ulla bestiane committito, ut concumbas, polluendo te cum ea. Mulier quoque ne consistito coram bestia, ut incubet sibi; confusio est.* Et XX. 15. 16. *Item is, qui sibi arrogaverit cubare cum jumento, omnino morte afficitor: jumentum quoque ipsum occiditote.* *Item mulier, cum accesserit ad ullum jumentum, ut incubet sibi, occides mulierem & jumentum ipsum: omnino morte afficiuntor; cedis ipsorum causa est in ipsis.* Ob summam quippe facinoris enormitatem & abominabilitatem ipsa quoque bellua jubetur e medio tolli, participans reatum, ab homine attractum, cum quia horrendi fuerat peccati instrumentum damnable, tum ne alios pruriente libidine in ejusdem delicti gravissimi commercium ac societatem irritet, neve memoriam illius refriget. Extrema idcirco maledictione personuit mons Ebal: *Maledictus, qui cubat cum ulla bestia; & totus populus dicat: Amen.* Deuter. XXVII. 21. Tanta Diaboli vis est, ut ex homine, mentis compote, pene non hominem efficiat, rationalitatem pene in irrationalitatem, & humanitatem in θηριότητα, transmutet. Nec enim hic vitii communis, aut, quod ajunt, semivitii, sed degener omni-

omni-

omnino bestialitatis status & conditio est. Atque ita vocaveris τὴν ἀλόγευσιν sive ἀλογείαν cum subjective, tum objective talem. Subjective quidem, respiciendo ad alpha σερητικόν, quod privationem sive carentiam usūs rectæ rationis connotat, una cum oppositò corruptæ rationis usu, habituque malitioso: unde fit, ut istiusmodi ἀλογεούμενον Ⓞ bruto similior sit, quam homini, & ἀλογον omnino induerit indolem, genii sui oblitus, naturæ rationalis nescius, sensu quasi communi destitutus, & divinæ particulam auræ obliterans; objective autem, cum petulantiam exerceat. περὶ τὰ ἀλογα ζῶα, h. e. reddente Gentiano Herveto, circa animantia rationis expertia; atque ita naturam, simile cum simili jungentem, monstrose intervertat.

4. V. Additur in Textu: καὶ λεπρῶς ὄντας, ἥτοι λεπρώσαντας, h. e. vertente Isidoro Mercatore, non solum leprosos crimine huiusmodi factos, sed & alios isto suo morbo replentes; nec solum ipsos leprosos existentes, verum etiam alios lepra inficientes. λεπρῶν enim & λεπρύνειν active seu transitive significant idem, quod leprosum facere, lepra polluere, inquinare, contaminare (Zonaræ μιάνειν) scabris veluti squamulis obducere; ut adeo displiceat sententia eorum, qui λεπρώσαντας transtulerunt neutraliter: *Qui leprosi fuerunt*. Sive igitur cum aliis lepram isthanc physice, sive cum aliis moraliter interpretari lubeat, res tandem eodem recidere, & utraque expositio in una morari sede posse videtur. Est nimirum lepra asperitas cutis profundior cum pruritu, eam in squamas resolvens, ex melancholico humore orta; qui pruritus à lepra, ut & à psora, inseparabilis est, sed tantus in leprâ, ut æger, vehementissimè etiam scabendo, nullò modò juvetur, sed omnis potius generis ulcera & phlegmonas præterea accersat. Ab ejus autem humoris qualitate & malignitate, piscium instar, squamulæ ex summa cute discedunt, materiam semper subministrante colliquatione quadam subjectæ carnis & totius corporis, facta à calore præter naturam. Squamulis autem illis inter cætera

cætera

cætera differt à pfora, quæ non squamulas, sed furfuracea tantum corpora ex se emittit: adeo, ut media sit inter pforam & elephantiasin lepra, & pfora quidem ad lepram prævia sit, lepra autem ad elephantiasin. Conf. *Theſaur. Stephani Tom. II. col. 862.*

§. VI. Proin tetrum cum bestiis concubitum incurabili isthoc morbo DEUS punivit, ejusque turpitudinem extremam hominum exposuit oculis, ita, ut ex eodem contagio ab hominibus & bestiis attraheretur; & Ecclesia ipsum judicavit immundum, qui hoc miasmate laboraret. Præsens ergo Canon eos, commentante Balsamone, leproſos nominat, sive immundos & pollutos juxta Legem Mosaicam. Aristenus quidem certè Synecdochen metaphoricam videtur hic agnovisse, & lepram sumpsisse pro immunditie quadam graviore. Quandoquidem, ait, immundus erat in Lege Mosaica leproſus, idcirco Canon eum, qui jumenta iniit, ut immundum, vocat leproſum. Hinc τὸς λεπρώσαντας ἑαυτοῦς, illos, qui semetipsos leproſos reddidere, ita postmodo describit, ut existimet, eosdem καὶ ἑτέροις τῆς οἰκείας μετὰ δῶναι ἀκαθαρσίας, etiam aliis de sua immunditie impertitos, & κατὰ κόρον χρησαμένους τῷ πάθει, passione ista immodice & ad nauseam usque usos, fuisse. Haftenus de subjecto nostri Canonis Ancyranum, quod sunt οἱ ἀλογευσάμενοι καὶ λεπροὶ, ἢ τοὶ λεπρώσαντες, illi, qui sine ratione, recte usurpata, & contra omne illius dictamen cum brutis animantibus coierunt, & leprosi existentes, alios quoque leproſos contagio longe turpissimo effecerunt. Τῶν τῶν, ajunt Patres, non contenti articulo τῶν, quem adhibuerant, cum τῶν ἀλογευσάμενων scripserant; verum principium individuationis, ut cum Philosophis loquamur, hoc est, collectionem plurium accidentium curatius allaturi, ac τῶν ἀλογευσάμενων specificaturi: Tales quippe indigitant τῶν ἀλογευσάμενων, qui simul leprosi extiterant, aliosque leprâ infecerant suâ. Hæc, hæc omnium longe spurcissima campi pecora καὶ ἐτώσια ἀρξῆς ἀχθῆ notant; In hæc execrabilia hominum portenta animadvertunt.

B

§. VII. Nec

§. VII Nec verisimile tantum nobis fit, sed & extra omnem
 dubitationis aleam positum apparet, per pronomen emphaticum
 ac demonstrativum τῆς ab Athesioribus Concilii hujus gravissi-
 mis Lectorem simul remitti ad Canonem proxime antegressum.
 Hos eosdem, vertitur apud Caranzam; distinctos puta, & se-
 paratim notatos à tribus illis τῶν ἀλογευσάμενων classibus, qua-
 rum antecedens Canon meminerat. Nimirum ibi stringeban-
 tur atque percensebantur I.) οἱ ἀλογευσάμενοι *juniores*, quot-
 quot ante vigesimum ætatis suæ annum tale crimen commise-
 rant. His quindecim annorum dicitur pœnitentia, substratio
 videlicet, & quinquennalis simul oratio sive κοινωνία εἰς τὰς πνευ-
 συχὰς, orationum communio, priusquam oblationem sive Sacram
 Cœnam contingereat. Examinabatur autem & eorum in sub-
 stratione vita; & ita humanitatem, gratiam atque indulgentiam
 consequebantur. Quod si qui κατὰ πόρως, perseveranter, inex-
 plebiliter & infatiabiliter his peccatis inhæsisent, τὴν μακρὰν ἔχον
 ὑπόπλωσιν, longam habebant substrationem, & in agenda pœni-
 tentia moras ducere, tempusque insumere prolixius teneban-
 tur. II.) οἱ ἀλογευσάμενοι *viriles & uxorati*, quotquot, peractâ
 viginti annorum ætate, in hujus delicti reatum incidissent. His
 viginti quinque annorum pœnitentia, eaque substratio, ac postea
 demum, exactis in comunione præcum quinque annis, Sacræ Cœ-
 næ participatio adjudicatur. III.) οἱ ἀλογευσάμενοι *consenescentes*,
 qui uxores habentes, & quinquagesimum ætatis annum
 transcendentis, ita deliquerant. His gratia communionis ad
 exitum vitæ demum haud negatur. Ab his, inquam, tribus ma-
 leficorum τῶν ἀλογευσάμενων cohortibus, *juniorum* quippe, *virili-
 um uxoratorum*, & *quinquagenariorum* seniorumque uxorato-
 rum, utcunque distinguitur illa, cui peculiaris in Canone nostro
 XVII. indicitur pœna, τῶν ἀλογευσάμενων *leproso*rum series, ita ta-
 men, ut exaggeretur crimen, si vel juniores, vel viri, vel senes, vel
 uxorati, simul leprosi extiterint, aliosque homines, aliave animan-
 tia

tia

tia spurcitie coinquinaverint sua, χοῖροι potius, ut Chrysofomi utar voce, quam homines nominandi.

§. VIII. Nunc super prædicato, quod hujus fuffuris ac farinae homuncionibus tribuitur, dispiciendum. Enimvero id ita assignatur: Τὰς πρὸς τὰς αἰγίας σὺν ὁδῷ εἰς τὰς χειμαζομένους εὐχεσθαι, *Hos jussit sancta Synodus inter hyemantes orare.* Ut adeo belluini homines, qui bestias deperierant, poenitentiam agentes & orantes, veniamq; suarum intemperiarum à Deo petentes, si sacra facerent publica, Hyemantibus admixti cernerentur. Et hi ipsi Hyemantes sunt, de quibus aliquid lectoris eruditi conspectui & judicio repræsentare animum induximus. Credimus enim, nos in enucleando isthoc argumento perspicuitatem melius sectari non posse, quam ubi declaraverimus duo: α) quoniam intelligantur per τὰς χειμαζομένους sive Hyemantes; β) quidnam sibi voluerint Ancyrani per formulam Liturgicam εὐχεσθαι εἰς τὰς χειμαζομένους, orare ad Hyemantes, sive inter Hyemantes. Hæc duo si feliciter extricaverimus, præclare nobiscum agi reputabimus, ac rivulos hosce Liturgicos sub umbraculo Altissimi claudemus.

§. IX. Χειμᾶζειν non semper est hyemare, hybernare, prout hæc verba vel apud Tullium idem notant, quod hyberna agere; sed sæpe etiam est tempestatibus pluviosis vexari, vehemente tempestate jactari, neque sole de die, neque sideribus de nocte apparentibus, uti accipitur Act. XXIEX. 18. 20. Ita & ὁ χειμῶν non semper hyemem, verum sæpe tempestatem pluviosam significat. Vid. Matth. XVI. 3. XXIV. 10. & Joh. X. 22. Ita & τὸ χεῖμα, cum plerumque tempestatem habeat comitem, Hesiodo ὀμβρητὸν, & Homero δουραλπὲς audit. Quia ipsa vox Hyems ex Græco ὕειν putatur facta eandem ob causam. Nihil ergo mirum erat,

si Hesiodus de Ascrâ sua caneret : " Ἀσκη χεῖμα κακὴ, θέρει δὲ γαλέη, εὐδέπορ' ἐσθλή. Est proinde χειμάζομαι non solum idem, quod *tempestate vexor, coorta tempestate, & quidem peculiari- ter hyberna, seu qualis hyeme in mari solet cooriri, jactor; verum etiam idem, quod hyeme infestor, hyemem patior, hyemali fri- gore infestor, hyberna frigora patior.* Sic Theophrastus, de syl- vestribus arboribus loquens, affirmat, συμφέρειν πᾶσι χειμαδῆ- ναι, μὴ χειμαδέντα δὲ κακοβλαστώτερα γίνεσθαι. Plura exem- pla congeffit *Henr. Stephanus lib. cit. Tom. IV. col. 489.* Ecclesia- stici postmodo Scriptores tropum extenderunt (prout magna ingenii humani libertas est jam in ampliandis, jam applicandis vocabulorum significatibus) & id verbi ad Liturgicas accommo- darunt expeditiones. Qua de re aliquanto penitius in præsentia videndum.

§. X. Balsamon ἰὺς χειμαζόμενος sive hyemantes ἐν τῷ ᾠδαλ- λήλῳ explicat, per oppositum nempe portum Ecclesiæ & salutis, vocatque eos, ἰὺς εἰς τὸν ἐκκλησιαστικὸν λιμένα ἰὺς σωτηρίας εἰσελθεῖν μὴ ᾠδαχωρημένους, quibus haud permiffum foret, Eccle- siasticum salutis portum ingredi. Contendere igitur inter se, op- posita, juxta se posita, magis dilucidaturus, videtur α) tempestatem animæ periculossimam, qua in mundi alto (ceu loquitur B. Dann- hawer. Christeid. Phænom. I. pag. 593) jactentur facinorosi isti, peccatis suis, ceu fluctibus πολυφλοῖσβοιο θαλάσσης obruti, & ad abyssum usque infernalem subsidentes, ubi conscientiæ fragores, ubi legis horrenda tonitrua audiant, & fulmina maris persenti- scant, ab ira divina penitus obnubilati; β) portum Ecclesiæ & sa- lutis (eo, quod extra Ecclesiam non sit salus) quem οἱ πιστοὶ sive fideles, in ᾠῶ sive Ecclesia (τοπικῶς acceptâ) locum suum oc- cupantes atque obtinentes, attigerant; ut adeo navicula ipsorum non amplius nutaret fluctuaretve; sed quilibet eorum usur- paverit tritum illud Græcorum :

Ἐλπὶς

Ἐλπίς τ' ἠδὲ τύχη, μεταχαίρετε, τὸν λιμέν' εὖρον,
Ἄλλὰ τί μοι χ' ὑμῖν; παίζετε τὸς μετ' ἐμέ.

Inveni portum : Spes & fortuna valete :

Quid mihi vobiscum est? Ludite nunc alios.

Ita vero Metaphora ex loco comparatorum, seu mavis, oppositorum haudquaquam præpostere erui posse videtur. Gregorius quidem certe Nanzianzenus, præ cæteris ob singularia Spiritûs Sancti charismata Theologus dictus, Ecclesiam cum arca Noæ confert, ingeminans: Ζητῶ Νῶε κιβωτὸν, ὅπως μέρος αἴνον ἀλύξω. Proin Hyemantes nostri putabantur extra arcam Noæ, extra Ecclesiæ halcyonia, imò extra salutis portum, in fluctibus quasi natitare, & ad receptionem in hanc Christi naviculam suspirare, perinde fere, ac nonnulli veterum Romanensium Pontificem una cum Patribus purpuratis, Episcopis, Prælati & clero universo, nave vectum, cæteros autem homines, in Politico & Laico viventes statu, forinfecus navi adhærentes, & vixdum sustentatos, ne in fluctibus submergerentur, insubide olim depinxere.

§. XI. Aliis, cum Balsamone facile conciliandis, τὸ χειμάζεσθαι, hyemare, idem est, quod sub dio stare, cæliq; inclementia & omnibus aëris injuriis expositum esse. Huc tendit Cl. Hoffmannus Lex. Univ. continuat. Tom. I. pag. 383, Hyemantes in Ecclesia veteri Christiana sic dictos existimans eos, qui propter enormia delicta non in ædis sacræ porticum admitterentur cum aliis pœnitentibus, sed foris, sub dio, omnibus aëris injuriis expositi, stare cogentur, cilicio induti, & veniam ab intrantibus in Ecclesiam rogantes. Nec *Albaspinaeus* ablusit loco cit. pag. 370. ubi expenderat verba Tertulliani, in lib. de pudicitia agentis: *Reliquas autem libidinum furias, impias & in corpora & in sexus, ultra jus naturæ, non modo limine, verum omni Ecclesiæ tecto submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra.* Si qui ergo juxta *Albaspinaeum* ob gravia delicta, v.g. fornicationis aut adulterii, pœnitentiam agebant, aut eam petebant; eos certum est sub quodam tectulo

ante fores templi ritus poenitentiae & exomologesin peregrisse, id est, Presbyteris advolutos, charis DEI & Martyribus adgeniculatos, veniam deprecatos esse, ceteros denique fratres, ut sibi deprecatores essent, orasse. Verum qui graviora delicta, ut sunt ea, quae hisce canonibus (16. & 17. Ancyrano) commemorantur, commiserant, qui que perpetuam agebant poenitentiam, ii non solum ab Ecclesia, sed ab illo etiam tectulo juxta ipsum arcebantur, Hyemantes inde dicti, quos inter etiam hi impudici Leprosi, in canone 17. speciatim notati, orare jubentur.

§. XII. Quam sententiam ut eo penitius imbibamus, tenendum, fabricam Basilicarum ac Templorum veterum Christianorum praeter tria receptacula potiora, nempe *Νάρθηκα*, *Ναὸν καὶ Βῆμα* narthecium sive vestibulum, gremium, & chorum, alias quoque domunculas, easque non minus contectas, & imbrium aërisve injuriis minus obnoxias, habuisse. *βήματι* nempe sive Choro subinde erat annexa aedícula salutatoria, in qua Episcopus sedisse memoratur, cum ad sacra facienda se pararet. Mentio hujus aedículae, quam alii Pastophorium (credo, quod *πασῶν* thalami aut etiam cubiculi referret schema) alii Secretarium (*die Sacristey*) fuisse censent, apud Theodoretum in Historia Theodosii poenitentis extat. *Ubi enim ad septa sacra pervenisset Imperator, ipse quidem Templum non est ingressus, sed accedens ad Pontificem, qui in aedícula salutatoria sedebat, obsecrat, ut vinculis se exolvat* lib. V. c. 17. Vid. B. D. Hildebr. de sacris publ. Templis ac diebus festis primit. Eccl. c. 2. Nartheci autem (hoc est, ferulae quasi & mulctae loco, juxta Goarum ad Euchol. pag. 669. ubi quippe poenitentes severiori disciplina castigarentur) contiguum erat Propylaeum quoddam, puta ambulacrum, ubi in squalore ac pædore stabant *οἱ προσκλαίοντες*, lugentes, viliori habitu amicti, fidelium vestigia lambentes, genua detinentes, eorumque intercessionem apud DEUM exorantes. Stabant, inquam, hi extra ipsum etiam *πρόναον*, Balsamone teste ad Can. Trullan. 87. & ad Can. 2. Dionysii

fil Alexandrini, nimirum in Propylæo, vel etiam nonnunquam ante illud, quod colligit *Gvil. Beveregius Annot. ad Synodicon p. 72.* adducta Zonaræ commentatione ad cap. 46. Synodi Carthaginensis, juxta edit. Græc. ubi πρὸ τῆς ἀψίδος collocari jubentur. Idem ille observat, προύλαον etiam ἀψίδα vocatum esse, neque fecius προύλιον & πρόθυρον ἔναξ, imò & simpliciter ἀυλήν nonnunquam appellari. Conf. de absidibus aut absidis *Carol. Fresne Glossar. col. 26. 27.* Locum autem hunc proprie non sacrum, sed omnibus comūnem fuisse, patet ex *Balsamone ad Can. II. Dionysii Alex.* ajente: Ὅτι γὰρ εἰσὶν οἱ πρόναοι κοινοί, ὡς τὰ ἱερῶν Ἐκκλησιῶν προύλια, Neque enim sunt pronai omnibus communes, veluti Ecclesiarum προύλια. Conf. ichnographiam Templorum veterum Beveregianam ad Can. XI. Concil. Nic. lib. citato, Goaricā ad *Euchol.* ceu videtur, amussitatiorem. Cū itaque hoc etiam Propylæum tecto aliquo esset perpetuo comūnitum, & illuc confugiētes tam à solis ardore, quā à pluviis sese utcunq; defenderent; aliquanto liquidius nūc apparet, aut certe verisimilius, quoniam sensu τὸ χειμάζεσθαι sive hyemare juxta *Albaspinaum & Cl. Hoffmannum* sit sub dio, omnibus aëris injuriis expositum stare, nec solum limine, verum omni Ecclesia tecto ex verbo *Tertulliani* submoveri; nec solum ab Ecclesia, verum etiam à tectulo illo Propylæi, quod *Nartheci* annexum ac præstructum fuerat, arceri.

§. XIII. Restat tertia significatio verbi χειμάζεσθαι sive hyemare, quam gemina Canonis nostri versio superius jamdum nostro stiterat obtutui. Nimirum *Gentiano Herveto* istud est Spiritu immundo perichitari. *Isidorus* autem Mercator habet ita: *Qui tempestate jaētantur, qui à nobis Energumeni appellantur.* Hæc sese præ cæteris probat laudato *Beveregio l. c.* imò nonnullis jam arriserat *Balsamonis* ac *Zonaræ* temporibus, utut his ipsis *Nomocanonis* interpretibus non item sese probet. Et fallor? an quaecunq; tertium comparationis inter χειμάζομενον atque ἐνεργάμενον accersi queat ex *Marc. IX. 18. 20.* ubi à *Dæmone* obsessus dicitur κυλίεσθαι, σπαράττεσθαι καὶ ῥήσσεσθαι, volu-

volutari, discerpi ac lacerari; quod navibus χειμαζομέναις, sive à tempestate correptis, itidem competit. Hæ tum κυλίονται, cum, dicente Poëta, magni montes volvuntur aquarum. Hæ ῥήσονται καὶ σπασθήσονται, rumpuntur atque dilacerantur, ceu Paulina Act. XXVII. 41. Pari ratione Princeps ille, cui potestas est aëris, ex permissione Dei justissima efficaciter agit in filiis incredulitatis Eph. II. 2. ἐλάυνει, agit, pellit obsessum in desertum Luc. VIII. 29. Porro liceat hoc evolvere tertium: Uti in tempestate magna fluctuum abundantia cernitur: Ita in uno obsesso vel legiones Dæmonum inveniri possunt; ibid. v. 30. eumq; μεθ' ὀρμῆς jaçtare, ad instar porcorum in mare jaçtatorum v. 33. Ist ein Wetter/das der Satan auf Gottes Verhängniß über viel arme/sonderlich böse / Menschen läßt aufziehen. His igitur, quasi naufragis, tabulâ metanoeticâ, eademque non aliâ, quam Baptismali, fuisse opus, Canon noster est argumento.

§. XIV. Sed enim rationes Beveregianæ, quibus hanc eandem interpretationem vocis χειμάζεσθαι suffulcit, à variis autoritatibus desumuntur. Aristenus quidem certe ait: *Hybernantes sunt secundum magnum Dionysium, qui à spiritu pravo vexantur.* Addit, quod his non fuerit permillum cum fidelibus orare, ceu jam ante Canon Apostolorum 79. id idem sanxerat. Igitur socias iis, qui irrationabiliter vixerunt, hic jungere preces debere censentur. Præterea *Maximus in Scholiis ad lib. Dionys. Areopag. de Eccles. Hierarch.* ἐνεργούμενος sæpe explicat per χειμαζόμενος. Et Scholiastes Harmenopuli ad can. nostrum 17. Ancyranum ait: *Χειμαζόμενος δὲ ἴσ' δαιμονῶντας λέγεται, ὡς τινὲς Φασιν, Hyemantes autem dicit demoniacos, ut quidam ajunt.* Imò affirmat Beveregius, Dæmoniacos sive Energumenos in ipso Euchologio vocari ὑπὸ τῶν πνευμάτων ἀκαθάρτων χειμαζόμενος, à spiritibus malis (ceu tempestate aliqua) jaçtatos: Ut adeo mirum non sit, contra-ctius nonnunquam vocari χειμαζόμενος, reliquis nimirum subintellectis, quemadmodum in vocibus ἐνεργούμενοι & *Arreptitii* idem

contin-

contingat. Tandem in partes asciscit librum de Eccles. Hierarch. jamjam laudatum, Dionysio quidem Areopagitæ falso tributum, bene veterem tamen, & antiquitates Liturgicas complures exhibentem, in cujus capite tertio, perficienda in Synaxi præscribente, dicantur *post lectionem sacrarum deltarum debere foris fieri sacro ambitu catechumeni, & cum ipsis energumeni, & qui sunt in pœnitentia; sciscatur insuper haud ita multo post, catechumenos energumenosq; & eos, qui sunt in pœnitentia, ex permisso & lege sanctæ hierarchiæ audire psalmicam sacram orationem, & divinarum sanctissimarum Scripturarum lectionem;* prout in editione Argentinensi Oper. Dionys. Areop. fol. 166. b. & 167. b. Textus Græcus Latina civitate donatus est.

§. XV. Probatum hinc ivit eruditissimus *Beveregius*, cum energumeni simul *πρὸς τοῖς κατηχημένοις*, junctim cum catechumenis & audientibus ex Narthece emissi & foras prodire jussi sint; hyemantes sive energumenos in Narthece suam antea stationem necessario obtinuisse. Quæ quidem probatio tum demum stringit, cum illud pro certo habetur, hyemantes & energumenos æquipollere. Verum gravis adversaria sententiæ huic constituitur ab aliis, qui cum *Leone Allatio* (Dissert. de Narthece veteris Ecclesiæ pag 96. & seqv. Vide sis etiam *Feblav. ad Enchirid. Christ. Angeli pag. 481.*) & *Gabriele Albaspinao* l.c. inter hyemantes atque energumenos grande discrimen intercedere opinantur. Proin mira Autorum dissidia deprehendas, dum alii locum & stationem Hyemantibus assignant in ipso Narthece, & quidem inter audientes atque catechumenos medium, eo, quod Liber hierarchicus Dionysianus primo catechumenos, deinde energumenos, & ultimo pœnitentes hinc exiisse tradat: at eodem ordine, quo egrediebantur, sine ulla dubitatione fuerant collocati; alii in Propylæo Narthecis hos lachrymantibus & in genua provolutis inferunt; alii tandem extra omne Ecclesiæ te-

C

ctum

Etum sub dio positos, omnibusque tempestatum injuriis expositos fuisse arbitrantur.

§. XVI. Albaspinæus per Hyemantes in Canone nostro haud intelligi contendit eos, qui spiritu immundo afflati aut correpti, neque eos, qui iraminuta mente furiosi essent, idque eo, quod utrisque, si lucidis gauderent intervallis, præberi Eucharistia poterit ex Timothei Alexandrini Canone tertio; hos vero, de quibus in hoc canone est mentio, perditos, imparos atque sceleratos homines ad Eucharistiæ aut orationum *κοινωνίαν* admittere nefas fuisse; id quod & Canone præcedente simul fiat evidens, ubi graves pœnæ in ipsos fuerint institutæ. Sed nequid de eo dicam, quod Albaspinæus paulo post *Martini Bracarenensis*, qui per Hyemantes intelligat immundis spiritibus agitados, opinionem ipsamet ei, qui hanc suam fastidiat, commendet; ipsemet quoque responsionem aliter sentientibus suppeditat per verba: *si lucidis gauderent intervallis.* Idem omnino nobis subministrat, & energumenum constanter maniacum ab eo, qui semi-maniacus quasi est, quique tantum ad tempus intemperis affanniisve suis indulget, discerni voluit *Zonaras* ad Canonem 79. Apostolorum jamjam allegatum ita commentatus: *Sed & fidelibus nec simul orare quidem cum tali (δαμονιζομένω) præsens Canon precipit. Atqui tertius Alexandrini Patriarchæ Timothei Canon, responsionem continens ad eum, qui interrogaverat: Si fidelis à demonio correptus fuerit, an debeat sanctorum mysteriorum particeps esse? dicit: Nisi enunciet mysterium, & nisi quo alio modo blasphemet, particeps est: Igitur presenti Canoni contrariari videtur. At ego non puto. Sed Apostolicus quidem canon οὐδὲ τὸ διόλξαι μαυνομένους de profus inlano loqui judicabitur, & qui furoris non habet intervallum. Nam quomodo talis assumetur ad officium? Timothei vero responsio de eo, qui per intervalla afficitur. Hic enim, dum non affligitur, sanctis Sacramentis dignus judicabitur. Agitatione vero demoniaca liberatus, si dignus*

gnum

gnus fuerit iudicatus, in clerum deligetur. Verbo : Intelligi in Canone nostro Hyemantes, ut ut non *διόλα μαγνόμενοι*, ex asse infarientes & nullam furoris intercapedinem aut vicem habentes, obscuris tamen admodum intervallis ad frugem redeuntes, commode possunt ; atque ita nervus inciditur objectioni. Non autem è contraria parte sermo est de eiusmodi energumenis, de quibus Canon XCII. Concilii Carthaginensis IVti testatur, quod in domo DEI assederint, quodque victus quotidianus per Exorcistas iisdem opportuno tempore fuerit ministratus ; atque adeo de Energumenis, per interstitia satis extantia & lucida resipiscentibus, de qualibus tamen obiectio loquebatur. Quod si eum Zona-
ρα obiectare ad h. l. lubeat : *Ἐι τοῖς ἐκ διαλειμμάτων δαμονῶσι συνέξονται ἀδιασκήτως οἱ ἀλογευσάμενοι, ἠπράκτησαν διὰ τῆς ἔ κανόνος αἰρέσεως καὶ διασίζεις ἔ προλαβόντος κανόνος* ; Regero, nondum everti hoc canone id, quod anteriori canone de variis ita peccantium ordinibus fuerat constitutum ; eo, quod
 1) gradualiter distinctum peccatum etiam gradualiter distinctam animadversionem sive censuram Ecclesiasticam (orationem inter hyemantes) deportet. 2.) *οἱ ἀλογευσάμενοι* deteriores, exemplo *ἔ χαμαζιμένων* sive energumenorum deteriorum, salutariter & *ὀφθαλμοφανῶς* agnoscere, quantopere adhuc fuerint laqueo Satanæ ad ipsius voluntatem captivati, ex iisque resipiscere 2. Timoth. II. 26. potuerint.

4. XVII. Cæterum Balsamoni haud abs re dicam scribere videtur Albasrinæus, dummodò ille per *τὰς ἀκρωμένους ἔ θείων γραφῶν*, quales fuisse *τὰς χαμαζιμένους* autumat, peculiarem sortem pœnitentium, qui audientes vocantur, intellexerit, & verbo *ἀκροῦσθαι* non generatim, prout omnibus in Narthecio stantibus, qui Verbum DEI, ex ambone prædicatum, unà cum catechumenis audiebant, competere potest, fuerit usus. Ecquid enim hoc modo gravius statueretur in hosce nefarios, in bruta degenerantes, & leprâ divinitus ex comminatione Mosis im-

missa notatos peccatores, qui insuper alios contaminantes ad dira hæc induxerant flagitia, quam in eos, de quibus præcedente jam canone fuerat statutum? Nihilominus in mensa solis est positum, & cuilibet attento cordatoque utriusque Canonis XVI. & XVII. arbitro aut collatori per se patet, Ancyranum isthoc Patrum Collegium graviolem, asperiolem, extantiolem & ponderosiolem his, quos Canon XVII. perstringit, quam anterioribus, pœnam Ecclesiasticam, seu mavis, censuram, animadversionem ac deprecationem publicam, ante obitum subeundam, dictare voluisse. At enim verò si nihil aliud hoc Canone sciscitur aut iubetur, quam utrosque, tam λεπρῆς, quam λεπρωσάντας, divinis concionibus interesse posse, ecquâ, amabo, delictorum horum genera distincta, aut dispares, ante expiationem luendas, pœnas esse reperies? Tandem non magis rationi consentaneum est, audentes vocari hyemantes, quam flentes aut substratos. Imò *Mart. Kempius Dissert. VIII. de Osculis p. m. 291.* putat, ipsosmet Flentes sive Lugentes à Latinis Hyemantes nuncupari, qui, ciliciò induti, & extra Ecclesiam (potioribus tribus partibus, Choro, Nao, & Ferulâ constantem) hami prostrati à fidelibus intrantibus veniam poposcerint de commissis scandalis, qui que secundum Tertullianum de pudicit. cap. III. fuerint conciliati, concinerati, cum dedecore & horrore compositi, prostrati in medium ante viduas, ante Presbyteros, omnium lacrymas suadentes, omnium vestigia lambentes, omnium genua detinentes. Ecquâ ergo Hyemantes fuerint ἀκρωμένοι speciatim ita nuncupati?

§. XVIII. Reliquum est, ut in tot, primâ fronte apparentibus, sententiarum divergiis epicrisin, quoad ejus fieri poterit, probabilem & henoticam, utpote quâ salvâ tantum non omnes, hæctenus methodicè propositæ, Virorum doctorum expositiones amiciùs componi & conciliari queant, nemini tamen obtrudendam, feramus. Quoad enim rationes Beveregii, §. 14. allatæ, non refellantur, tantisper haud omninò negaverim, per Hyemantes

mantes

mantes potissimum Energumenos, eosdemque intra Narthecium (quod num satis exasciatè Catechumenium à *Baroniò*, *Wolffo* & *Meursio* appelletur, videsis apud *Carolus Fresne* l. c. col. 887. & seqv.) & quidem in medio Audientium atque Catechumenorum stantes, intelligi. Sistimus itaque hoc eruditis & in lectione harum antiquitatum versatis Viris expendendum, an non hi ipsimet ex Hyemantibus, à Dæmone obsessis, fuerint tolerabiliores, quippe quibus proxima spes foret accedendi ad Audientium, ab his ad substratorum, postea ad Consistentium, ac tandem ad Participantium numerum, qui que Fidelium gregi successu temporis plenè reconciliari studerent? Ad sequiorem deterioremq; his classem videntur reduci debere ex Hyemantibus sive Energumenis isti, qui in Propylæo, Lacrymantibus intermixti, stationem obibant procumbebantve. In his, miseratione dignissimis, non tam extantia, nec tam frequentia malaciæ sive quietis à tempestate spiritali intervalla comparebant, sondern das Wetter so öftters bey ihnen auf. Quò tamen χειμώνι sive tempestate paroxysinorum remittente, & mediocribus halcyoniis redeuntibus, tantò major, amplior, hilarior ac serenior pœnitentiæ in ipsis refulserat gratia. Ad hos, ita dispositos aut affectos utcunque inclinatur ipse *Albaspinæus* l. c. pag. 369. nec non pag. 184: *Quibus, inquit, pœnitentiæ agendæ spes quadam cooriebatur, ii, reconciliationis, cum Ecclesiâ ineunda, modum omnem pervestigantes subodorantesq;, sub tecto quodam, quod prope templum erat, stabant, ut prætereuntes omnes lacrymis, luctu, squaloreq;, prope perditæ ac profligati ad misericordiam pellicerent, & eorum judicio sententiæq;, digni haberentur, qui diutiùs ab ingressu in templum, & à pœnitentiâ non arcerentur.* De his iisdem fallor? an capiendus *B. noster Dannhavverus*, quando l. c. τῆς χειμαζομένης ad ἀποκλαυσιν ἔξω τῆς πύλης ἔ' εὐκτηρίῃς retulit; utpote qui præ templi foribus ac portis (non Speciosâ modò ad Naon, sed & Magnâ ad Narthecium ducente) tum introrsum à Fidelium

Penetralibus, tùm extrorsum à Catechumenorum etiam ambitu ac Audientium periodo separati, constiterint. Pessima Hyemantium omnium sive Energumenorum societas & confluges ad extremum illa videtur, quorum corpora sic occupaverat ater spiritus, ut rarissima quidem tempestatis cum tranquillitate permixtio, nec tamen omninò nulla foret, & vix ac ne vix quidem operationum Satanicarum in ipsis occurreret ac daretur intermissio. Hos, in cribro Satanæ periculosius Petro sedentes, & ab Angelo ipsius vehementius Paulò colaphizatos, quinimò eidem ex indulto divinò, utut sine excommunicatione Ecclesiasticâ, traditos in corruptionem carnis, ut spiritus salvus fieret in die D. N. J. C. prisci Christiani, rarissimis vicibus ad orandum accedentes ac poenitentiam anhelantes, neque in Templum, neque in porticum Templi omnium extremam intromisere; sed forinsecus, vel adductos ab aliis, vel coërcendos ac in officio retinendos, sub distare subinde voluere, veriti sine ullâ dubitatione, ne intermedia sacra tempestas eorum Satânica exorta rem divinam turbaret. De his, credo, Canonem nostrum Ancyranum omnium verisimillimè interpretari nobis licebit.

§. XIX. Præterea γενικώτερον annotare lubet, quod dies doceat, uti certa obsidentis Dæmonis, ita & recedentis, dari signa prognostica ac diagnostica; quæ itidem gradatim, hoc est, secundum magis & minus variare, Diabolumque ex multiplici divinæ permissionis œconomia jam truculentiùs, jam remissiùs in miserorum mortaliùm, obsessorum, corpora sævire, res ipsa comprobat. Etsi enim ob mentis nostræ cœcitatem, fidei infirmitatem, & summam impuri spiritûs calliditatem arduum ac difficile est ostendere has notas; Colligitur tamen obsessio corporalis ex 1) horrendo Dæmonis aspectu, 2) somniis tristibus, 3) abditarum rerum notitiâ, 4) linguarum, obsessis ignotarum, scientiâ, 5) præternaturali potentiâ, 6) horrendâ vociferatione, 7) Dei blasphematione, nominis Jesu & orationis Dominicæ si non abhorrentiâ, tamen

men

men vilipendiō, 8) belluina proximi cavillatione, 9) stupendâ gestuum deformatione, 10) inhumanâ comestatione, 11) dolendâ corporum exeruciatione, 12) insolitâ corporis & proximorum læsione, 13) admirandâ corporum motione, & 14) notabili rerum gestarum oblivione. Quas & similes notas, etiamsi non apodicticas, endicticas tamen, si non ad propria quarti, tamen secundi ac tertii modi reduxeris; nec inficiere, dari plus vice simplici ac inveniri earum augmenta, cum vel unicum hominem plures obsedisse Dæmones legantur. Colligitur è contrariō digressio malorum spirituum è corporibus obsessis, 1) ex tormentorum cessatione 2) ex faciei mutatione. Quod utrumvis indicium jam magis, jam minus, nec sine diacrifi eximiâ, obviat. Orare itaque perhibentur vexatissimi Hyemantes in Canone nostrō. DEUS nimirum diu multumque invocari vult, nec statim ἐκβάλλει, h. e. violenter ejicit Dæmonas, declaraturus hanc ipsâ auxilii sui dilatione suam in peccatores iracundiam, probaturus ipsorum in orando constantiam, exploraturus eorundem in dolendo patientiam, averfurus tandem atque præcauturus securam in peccando malitiam. Longo hinc temporis tractu subinde opus. Non in puncto hæc peraguntur mathematico; sed gradatim, jejunando, conando, luctando, precando, quærendo, instando, pulsando, obtestando, in magna obsessorum infirmitate & intercessorum προσκαρτέρησαι perficiuntur. Quæ cum ita sint, ecquid, obsecro, mirum, si ipsi quoque Hyemantes sive Energumeni diversarum quoque sortium, classium ac dispositionum æstimati, jam intra tectum oratorii, jam extra illud commemorantur locati? Lege sis B. Dorschéum de obsess. Sat. sect. I. Quæst. 3. 4. 5. & sect. II. Quæst. 4. & 8. Ne quid adjiciamus de eō, quod dicta & facta enormia, à Dæmoniacis in paroxysmō patrata, magno differentiæ gradu à dictis & factis enormibus, ante paroxysmum & post eum commissis, discernere oporteat. Propter illa non magis puniri merentur, quam gladii ob interfectos homines: Propter hæc autem

in eos

in eos subinde gravius, utut magnâ cautione & prudentiâ adhibita, est animadvertendum, quantumvis, si vita ipsorum antea facta fuerit mala, etiam flagitia in paroxysmô admissa, v. g. blasphemix, execrationes Ministrorum, maledicta & verbera aliis intorta, certâ ratione ipsis imputanda veniant, naturâ quippe eorum non penitus ab illis abhorrente. Conf. B. D. *Bechmann. Theol. Conscient. pag. 372.*

§. XX. Pollicebar superius §. 8. me phrasin Liturgicam nostri Canonis, εὐχεσθαι εἰς τὰς χειμαζομένους orare ad *Hyemantes sive inter Hyemantes* itidem enucleaturum. Quod ut exequar tantò commodius, in tantâ nempe rei difficultate, quæ vel Zonaram adegit, ut ad h. l. fateretur, sese ἔχειν εἰπεῖν, τί ἐστὶ τὸ εἰς τὰς χειμαζομένους προσεύχεσθαι, ante omnia tenendum ex *Goaro ad Eucholog.* l. c. reor, duo fuisse τῶν Ἰπτιμίων, si de iis amplè satis & communiter fiat sermo, genera: *Unum* quidem, quo non tantum Sacramentorum & precum consortiô cunctô quis privaretur, & ab Ecclesiâ velut membrum putridum exularet; sed etiam pœnitentium coetu eiectus, ac percussus anathemate, diris devoveretur, &, ut in excommunicatione majori, Satanæ traderetur; *Alterum* verò, quod in pœnitentium numerum aggregaret reos, diu tamen crimina plangentes, & per gradum συστάσεως, sive consistentiæ (quo unâ cum Catechumenis haud amplius egredi tenerentur, verùm ad usum precum & Eucharistiæ consistenter) ad μετοχήν pertinentes. Ex illis pœnitentium gradibus cum primis ad Flentes, extra portam magnam, atque ad Audientes, extra portam speciosam in porticu stantes, quam prope accesserint nostri χειμαζόμενοι, hætenus visum. Fuerunt scilicet aut ipsi pœnitentes, aut pœnitentium comites, gregales ac socii. Tenendum porrò, quod in confesso isthoc Ancyranô, atque adeò in Græciâ paulò humaniùs benigniùsque cum Lapsis & peccatoribus, & ita etiam cum monstrosis ac leprosis belluarum amasiis agi cœptum esse legamus, quam alibi. In Concilio quidem *Eliberita-*

berita-

beritanô , quod *Baronius* ad annum Christi 305. retulit, quodque hoc pactô nostrate Ancyranum trienniô antevertit, Hispani illi Patres Canone XXI. rigidè satis decreverant, stupratoribus puerorum, quos *Aristenus* in nostrô Canone per τὰς ἀλογευσάμενους itidem voluit intellectos, nec in fine dandam esse communionem. Ab hæc nimîâ & immodicâ ἀσποτομία remisisse non nihil videntur Ancyrani, dum Canone XVI tō pro gravitate criminum majori aut minori modum quendam præscribere pœnitentibus voluere. Nec enim vetant, quo minus monstris hominum & impurissimis naturæ transgressoribus, deformatoribus atque everforibus, ibidem taxatis, ulla nunquam venia indulgeatur; neque hos, dummodò ad pœnitentiam aspirent, in agone ullatenus absolvi nolunt; sed aliis viginti annorum, aliis quinque & viginti, aliis ad mortem usque terminalia præstituunt, adeò, ut morientibus communionis facultas & usus non adimatur. Hoc illi moderatius Hispanis fecere, interim non obliti proportionis, in pœnis quantumlibet analogicis, quales sunt Ecclesiasticæ, servandæ, dum animadversionem leprosæ & contagiosæ isti τῆ ἀλογευσάμενων turbæ, quam ipsa hominis natura horret, abominatur, fugit, & quoad ejus fieri potest, declinat, exasperant ratione loci precatorii, eosque à communionem orationum, in εὐκτηρίῳ publicô fundendarum, ad quos tales minus reos anterior Canon intromiserat, eatenus ac per istud temporis spatium omninò separant, segregant, secludunt, & ad Hyemantes sive Energumenos, sub dio ante Templum congregatos, formidabile hominum genus, exterminatos volunt. Nec immeritò, ceu dictum. Ipsa quippe natura hominis integri ac sani hominem leprosum horret, & ab eò pluribus parasangis distrahi ac dissociari contendit. Ὡς γὰρ τὸν ὅμοιον ἤγαγε πρὸς τὸν ὅμοιον, Ita similes similibus adjunxit, aptavit, ac pœnitentiam utrorumque salutarem provehere per ordinationem isthanc voluit severitatem æquitate mitigans ac benè animata mater Ecclesia.

D

§. XXI. Te

§. XXI. Tenendum præterea, causam, cur in hos leprosos be-
 stiarum concubitores actius, quam in anteriores, in Canone no-
 stro XVIImo animadverteretur, tergemina maxime fuisse, &
 primam quidem *seductionem aliorum scandalosam*. Quo nomi-
 ne apud Caranzam talis ei præfigitur rubrica: De his, qui alios
 ad antedicta peccata induxerint: alteram *infectionem aliorum
 hominum abominandam*. Neque enim in proprium modo corpus
 peccabat ejusmodi foedus *ἡερομιξάνθρωπον*; sed alios quoque
 lepræ contagio latius patente coinquinabat, & DEO, & homini-
 bus execrabilis; tertiam vero *infectionem brutorum nefandam*,
 quandoquidem Leprosus ejusmodi belluarum concubitor pecu-
 des, & cætera animalia, quæ ad victum maectantur, contactu infi-
 cere suo poterat. Tenendum amplius, tum ex Ancyrani nostri,
 tum ex Niceni Concilii stylo communionem orationis ab Evcha-
 ristica communione identidem sequestrari. Ita nempe Lapsi, qui
 in templis idolorum cœnaverant, canone quarto Ancyrano ju-
 bentur per biennium tantummodo orationi communicare, ter-
 tio autem anno reconciliari Sacramentis. Similis sine oblatione
 communicatio can. 6. injungitur his, qui ex timore ritus gentium
 peregerant. Et can. 8. illi, qui vi coacti idolis immolaverant,
 quatuor annis sese ad pœnitentiam submittere, duobus autem
 aliis sine oblatione communicare jubentur, anno septimo perfe-
 ctionem recepturi communionis: canone autem 9no isti, qui
 aliis sacrificandi causam attulerunt, post alia longa deprecationum
 Ecclesiasticarum genera exantlata vix ad communionem sine obla-
 tione recepti leguntur. Sed & excommunicati, cum in præsen-
 tissimo mortis periculo evcharistiam accepissent, & tamen postea
 revaluissent ac superviverent, juxta Can. 12. Concilii Niceni sola
 oratione communicare debere scribuntur. Hinc datur intelligi,
 quonam sensu *ἡεροκοίται* isti infames in Canone decimo sexto
 Ancyrano, qui nostrum antecedit, duplici vice dicantur cooptandi,
 præstitis præstandis, in communionem orationum.

§. XXII. Ap-

§. XXII. Apparet itaque, τὸ *orare inter Hyemantes* h. l. esse aliud, quam orare inter Catechumenos aut cum Catechumenis, *orare inter alios pœnitentes, aut orare cum fidelibus*. Condemnati ergo fuerunt à Canone nostro XVII. Leprosi atque contagiosi isti alactores, & ad frugem redeuntés seductores, ad orationem cum hyemantibus, extra Oratorium totius Ecclesiæ instituendam, cum cæteri homines belluini, lepra tamen ista nondum deturpati aliosve inficientes, acta pœnitentia, ad communionem orationum, cum Catechumenis aliisve pœnitentibus intra Narthecem suscipiendarum, admitterentur. Lucem accipit hæc declaratio ex Can. 19no Concilii Laodicensi, ubi præcipitur, catechumenorum orationem separatim oportere celebrari; quibus egressis orare debeant etiam hi, qui in pœnitentia sint constituti: καὶ τῶν ὑποχωρησάντων & his secedentibus, tres fidelium preces sic fieri debere, unam quidem, scilicet primam, διὰ σιωπῆς, silentio, secundam & tertiam διὰ προφωνήσεως, pronuntiatione sive compellatione, & tum demum osculum pacis dari debere. Cum itaque, Gregorio Thaumaturgo apud Kempium l. c. docente, fletus sive luctus fuerit extra portam oratorii, ubi peccatorem stantem oportuit fideles ingredientiés orare, ut pro se precarentur; patet, quam dura expiatio Ecclesiastica bestiariis ejusmodi desultoribus, qui lepram attraxerint sibi, attractamque ad alios traduxerint, à Patribus Ancyranis fuerit statuta; sine ulla dubitatione eo consilio, ut non utcunque duntaxat orare, sed recte, ex animo, in spiritu & veritate orare, & peccati sui gradum διαβολικώτατον penitius agnoscere discerent.

§. XXIII. Nolim proinde dixisse, τῶ *orare inter hyemantes* aliquid asperius duriusve indicari, quam in exitu vitæ demum ad communionem Eucharisticam admitti, aut simul insinuari, quod nulla omnino venia, huic tanto delicto indulgenda, sperari aut expectari posset. Cum enim Assesores nostri Galatini Ca-

none XXII. vel homicidæ proæretico, eidemque ad pœnitentiam jugiter sese submittentem, in exitu vitæ communionem addixerint; & idololatriæ crimen, adversus primam Decalogi tabulam designatum, una cum Nicenis aliisque Patribus à desperata ista censura ex parte vere pœnitentium relaxarint; equidem haud reperio, cur pœnitentes & orantes isti Leprosi omni omnino gratia vel in vitæ termino forent excludendi. Persvasum insuper mihi habeo, canonem accrescentibus veræ pœnitentiæ argumentis subinde mitigatum fuisse; ut adeo, qui primitus, tam horribilis facinoris rei, inter hyemantes orassent, postmodo impetrata Ministerii venia, etiam inter catechumenos aliosve pœnitentes in *εὐκτηρίῳ* publico orarent, junctiq; Audientibus cultum celebrarent publicum, si forsan ex speciali Numinis gratia malum incurabile, quo tenebantur, remitteret. Si enim vel Judæis, paganis, excommunicatis, hæreticis & schismaticis ad adyta quidem Ecclesiæ non licuit accedere; licuit tamen in loco Catechumenorum orare, Evangeliumque audire; quod vult Albaspinæus l. c. pag. 215; facilis hinc datur collectio, nec Leprosos nostros, cum Hyemantibus extra τὸ ἐκκλησίον & procul à sanctuario orantes, successu temporis à catechumenio & oratorio pœnitentium omnino exclusos permansisse. Est enim τὸ εὐχεῶδες, προσευχέως, sive orare, ejusmodi verbum, quod totam hominis conversionem supponit, ceu Act. IX. II. totumque primæ tabulæ cultum ambitu suo complectitur Nominis divini invocatio Joel. II. 32. Act. II. 21. Rom. X. 13.

§. XXIV. Admiremur hic veteris disciplinæ Ecclesiasticæ acrimoniam & sanctimoniam. Cùm enim hodie multi post commissa tot numero scandala vix lacrymulam fundant & confessionem horum edere publicam plerumque erubescant; illi contra per tot annos expiationem & reconciliationem cum Ecclesia post designationem vel unius pecca-

peccati mortalis ambire, in loco peccatorum hærere, intercessionem sanctorum & fidelium sibi exorare, & interiorum contritionis suæ sensum confessione ingenuâ variisque argumentis ac signis coram oculis Ecclesiæ testatum facere tenebantur. Præterea in hanc Plorantes illi cogitationem salutari ter deducebantur, ut peccati mortalis enormitatem tanto penitius agnoscerent. Si enim dura quidem, nec infida tamen, mater Ecclesia tam longam vel uni dilecto pœnitentiam decerneret, quam dirum istud in conspectu DEI esset, poterant existimare. Sed absolutionis Ecclesiasticæ dignitas & inde elucescit, quod pœnitentibus secundum peccatorum differentiam Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernerentur, imò & inde, quod modus reconciliandi pœnitentes talis esset, ut ab Episcopo, aut hoc absente, à Presbytero, unicuique pœnitenti, cujus crimen publicum & vulgatissimum foret, quod universam Ecclesiam commoverit, ante apsidem (id est, atrium Ecclesiæ juxta edit. Caranzæ) manus imponeretur, testibus Concilii Carthaginensis tertii canonibus XXX. & XXXI. Tanto magis necessaria tamen extitit hæc solennis Ecclesiæ dictatura; quanto magis capitalia subinde emergerent delicta, in quæ ista exerceretur. Ecquid enim, malum! Sodomiticis mastigiis ac verberonibus istis, quibus Magistratus politicus ex officio divinitus ordinato pœnam mortis indicere & accelerare, sicq; malos è medio tollere & ab se remove omnino debuisset, vel minima adhibitæ severitatis & acrimoniæ pars ullò jure ac titulo poterat remitti?

§. XXV. Quandoquidem autem non impii modo, verum etiam pii subinde dari potuerint Hyemantes, admiremur simul providentiam Numinis, rerum humanarum directricem ac determinatricem; piis omnia in bonum convertentem. Incipit verè judicium à domo sua Dominus, & in viridi ostendit ligno, quidnam

de arido sit facturus. Peccatorum nempe foeditatem hoc pacto piis tantò penitiùs inculcat, ipsorumque fidem, poenitentiam ac renovationem quotidianam tantò gloriosius exercet, quantò abominabilior subinde est obsessio, eaque Satanæ, non κατ' ἐνέργειαν modo, verum etiam κατ' ἰστίαν in corporibus ipsorum habitantis. Neque tamen obtinet prædominium teter miserissimi domicilii hospes; nec ultra limites à DEO positos egredi valet. Quod si ergo obsessi fuerint verè pii, adeoque non infideles Ethnici aut Baptismi genuini expertes, nec obstinati peccatores; quod si iidem perpetuis à Satanæ paroxysmis sine omni intercapedine non divexentur, verum digna in ipsis præparatio locum habeat; tum verò ad communionem Eucharisticam & sacram synaxin hos, extra paroxysmum &, ut cum Canone nostro loquar, hymationem constitutos, admitti debere, communis sententia Casuistarum est. Imò si vel tales, ve etiam impii, poenitentiae tamen non simulatae aut fucatae signa edentes, in tristi obsessionis statu decesserint, quis, obsecro, tam crudelis erit, ut hos æternis gehennæ flammis adjudicare sustineat? Confer ex multis B. D. *Luthero vulgò ascripta Colloqv. Mensal. cap. 9. vom Teuffel und seinen Wercken* / fol. 115. & seqq. B. D. *Balduin. Cas. Consc. lib. III. c. 3. cas. 4.* B. D. *Dannhauv. Theol. Conscientiar. Tom. poster. p. 439. & seqq. 442. 447.* & seqq. B. D. *Wagneri Casual-Predigten pag. 19. & seqq.* & B. *Dedekenni Consil. Volum. 1. part. 2. pag. 789. & seqq.*

§. XXVI. Deprecemur ad extremum & aversemur obsessionem spirituales, subtilem, inconspicuas, interiores. Hæc ipsa in præsentia à nobis innuitur, non prout est duntaxat φαινομένη sive putatitia, ficta & afficta, qualem vel ipsimet Domino nostro JESU CHRISTO, qui Patris Sapientia est, insani homines affricare non verentur. Illis nempe

nempe Christus stultitia est, ceu Græcis 1. Cor. I. 23. diuturnâ & inveteratâ persuasione excœcatis. Conf. *Titulos Psalmorum* meos sub rubricâ: *Christus coram mundo demens pag. 487. & seqq.* Sed & David, stulti sapiens imitator, hyemare, ut denuò utar voce nostrâ, in subidis notulis parietem deformare, imò juxta alios tympanizare coram Achio, Rege Philistæorum, visus. Conf. eosdem *Tit. Psalm.* ibid. ad Ps. XXXIV. 1. Nec ipsi Paulo ejusmodi motæ mentis vitium jure objectaverat Festus Act. XXVI. 24. magnâ contestans voce: *Μαίνῃ, Πᾶυλε*, Insanis Paule! Istud autem est noxium ac periculosissimum, quod arguimus, obsessionis spiritualis, *ὄντως* talis, miasma, quò hodiènum multi *Hyemantes theoretici* ratione doctrinæ, & *Hyemantes practici* ratione vitæ tales, impotentius laborant. Nimirum illos Apostolus vocat *ἀνοήτους καὶ βασκαυνομένους*, dementatos ac fascinatos, ceu Galatas, III. 1. Vocat etiam *γόητας*, præstigiatores, proficientes in pejus, *πλανῶντας καὶ πλανωμένους* 2. Tim. III. 13. à quibus retius animati secessionem faciunt, persistentes in his, quæ didicerunt, & quæ sibi concredita sunt; scientes, à quibus didicerint, à teneris nempe sacras literas *εἰδότες*, vers. 14. 15. **HOS** autem complures obtutui repræsentat dies, in quibus mille fraudum artifex cor sibi patefactum, ut fortis armatus domum suam, arctè tenet, mentem excœcat, voluntatem ligat, affectibus imperat, & miserimos ita, quò vult, ducit Hyemantes, cespitantes, hallucinantes. Linguam & aures ocludit, ne salutariter audire verbum, nevé precari & confiteri possint: organis corporeis quasi inequitat, ut pruriant maleficia, agant quæ ipsa, non solum agantur. Caveamus hanc tantò impensius obsessionem, quantò nocentior est corporali; & si cum Paulo venundati sumus sub peccatò, non tamen cum Achabo nos præreticè sub istud venundemus ipsi; verum oremus indefinenter: O Domine, ne nos inducas in tentationem! O Domine, adauge nobis fidem! Quam pietatis ac pœnitentiæ

praxin

praxin devotius observaturi, eandemque ipsam inflammatio con-
 tinuaturi studio, non Hyemantium instar extra palabimus
 vagabimurvé; nec titubabimus, nutabimus aut vacillabimus
 ut ebrui; sed vel intra conscientiae tranquillae halcyonia sub-
 sistemus, vel intra portum Ecclesiae triumphantis per beatam ex
 hac vita analysin recepti, ab omni pravorum dogmatum imma-
 niumvé scelerum tempestate ac discrimine erepti, amoenissi-
 ma caelestium deliciarum galene, tranquillitate, se-
 renitate ac securitate in aeternum
 perfruemur.



empeln!

